

V N I V E R S Æ
N A T V R A E
T H E A T R V M.

*IN QVO RERVM OMNIVM
effectrices causæ, & fines contemplantur, &
continuae series quinque libris
discutiuntur.*

A V T O R E
I O A N. B O D I N O.



*Nicol. M. Bach.
Ad 1 sequenti. cent*

FRANCOFVRTI,
Apud heredes Andreæ Wecheli,
Claudium Marnium, & Ioan. Aubr.

M. D. XCVII.

242. 61

ac magis infestaret. Quod autem Australes populi & Africani magna sui parte lepra teneantur, argumento est, quòd in illis regionibus lepra popularis est morbus, & ab illis regionibus in vniuersum orbem terrarum propagata. Scribit enim Plinius Italiam nõ vidisse leprosos ante Pompeium magnum: & hunc morbum Ægypto fuisse peculiarem: Plutarchus verò sua ætate Græciam tunc primùm leprosos aspexisse.

Th. Cur Suibus collum crassissimum, ventrem amplissimum, cerebellum perquam exiguum natura dedit? M. Vt facilius pinguescerent, nec aliam quàm ventris curam haberent.

Th. Cur Suibus vnguentum suaueolens lethiferum est? M. Non tam propter ingenitam immundissimo quadrupedi spurcitiem, quàm propter vim vnguentorum efficacissimam, qua Equi, Canes, aues, & interdum homines necantur, aut in furorem aguntur.

Th. Quæ bestia præter Sues exertos dentes habet? M. Elephas Hippopotamus, & Moschus, de quo superius dictum est.

Th. Quid habet Elephas præ cæteris beluis? M. Summam corporis vastitatem, summam prudentiam, summam vitæ diuturnitatem: cornuum verò moles interdum tanta est, vt æquare possit pondo 220.

Th. Quid medium est inter cornigeras bestias, & eas quæ dentes exerunt? M. Elephas.

Th. Cur ita? M. Quia dentes non à mandibula, sed à cerebro veluti cornua, & contra naturam dentium in omnes partes flexibilia promitt:

mit: ex his enim Eborarius circulos, arcus, & omnis generis supellectilium instrumentorum conficit, quæ fragilis & indomita dentium natura ferre non potest.

Th. Quid Elephantò magnitudine ac robore proximum? M. Rhinoceros, qui cornu ac lorica ferro duriore, sæpius Elephantum acerri- mum hostem sternit, tametsi Elephantò multò minor est.

Th. Quid inter Rhinocerotem & Monocerotem interest? M. Rhinoceros duplici cornu armatus est: sed alterum minus maiori subest: Monocerotis verò duæ sunt species, vna quam Orygem Græci¹: altera quam Asinum Indicum vocant: hunc Serapio & cæteri Arabes Moschum, vt opinor, intelligunt: nam Onager cornibus vacat, Moschum verò Capræ speciem esse tradunt exertis dentibus, & cornigerum: in quo Aristotelis error deprehenditur, qui nihil cornigerum exertis aut ferratis dentibus esse affirmat. Vtrius animantis sit cornu quod ad Dionysij Francorum visitur, affirmare non a- u- sim, in altitudinem tamen sex pedum exurgit, & cavitatè sua sestarij liquorem continet, cui mirabiles vires tribuuntur aduersus mala vene- na, vulgus Lycornam appellat.

Th. Num etiam cornibus Ceruorum, quæ singulis annis abundantissimè repullulant, oc- culta vis etiam inest? M. Quid in illis lateat affir- mare non a- u- sim: perspicua tamen vis ad Ser- pentes solo nidore fumi fugandos, & ad ilio- rum Lumbricos necandos.

Th. Cur Ceruorum generi tantùm cornuta

¹ Aristotès
lib. 2 de
hist. Ani-
ma. c. 30